



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Wolfgangus Episc. 31. Octobris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

31. Octob. VITÆ SANCTORUM. 681  
reum lectum injici & subjici ignem jus-  
sit. Sed hunc cælum mitiore rore facile  
temperavit. In fornacem succensam post  
hæc abjecti iterum flammam triumphava-  
runt, Superis acclamantibus, & certos  
esse beatitudinis jubentibus. Meruere ergo  
laurum, quâ ut coronarentur, capita se-  
curi submiserunt. *Ex Metaphr.*

*Antenos est Christus, antenos brachium  
ejus: ad hunc dirige oculos tuos, averte  
à spectaculis, averte ab omni seculari pom-  
pa: serua eos, ut erigas melioribus: erige  
ad cælum; specta mare, terram circumspi-  
ce, ut opere facta divino omnis creatura te  
pascat. S. Ambros. in Psal. 118.*

S. WOLFGANGUS EPISC.

31. Octobris.

**S**Tellam parturire sibi mater WOLF-  
GANGI videbatur. Non fefellit  
WOLFGANGUM peperit, fidus, à quo  
omnis Bojaria illustrem se fatetur. Nata-  
lium splendori jam inde à puero mayo-  
rem lucem à bonis artibus, maximam  
deinde à virtute accendit. Hæc cum in-  
ter Herciniæ silvæ Ascetas aliquamdiu  
latuisset, suis tandem se radiis prodidit,  
& præluere Bojis Ratisponæ iussa est.  
Agnovere in Præsule suo vitæ magistrum  
omnium ordinum homines. Virgines  
præcipuè Deo dicatæ, quas ille à vitæ,  
ad quam nunc etiam prouum est defi-

Vu 5 cere,



682 VITÆ SANCTORUM. 31. Feb.  
cere, licentiâ, ad sanctiorem disciplinam  
facile omnes revocavit. Postea in deser-  
tos montes aufugit, struxitque sacellum  
miraculis etiamnum inclytum. Sed non  
potuit oculos effugere stella tam nobilis.  
Retractus *Wolfgangus* post longam ab-  
sentiam pulchrius jam Ratisponentibus  
velut post tenebras luxit. Illud minime  
racendum. Henricum Bavarum postea  
Augustum educasse, illique Imperium  
tum in vitâ, tum à morte suâ prædixisse:  
nam ferunt Henrico dormienti *Wolfgangum*  
adstitisse, & parieti gemina hæc  
verba (*Post sex*) inscripsisse: experrectum  
illum mortem primò in sextum diem,  
post in sextum mensem, tum in annum  
sextum expectasse, sed tunc pro morte  
Imperium scilicet adiisse. At *Wolfgangum*,  
cum assem omnem suum in fratres  
(ut ipse vocabat) pauperes partitus esset,  
cælum ex ipso templo D. Othmari, qui  
& Episcopatus illi & mortis vates fuit,  
ad se rapuit. Nec injuriam terræ fecit,  
suum abstulit, stellam tulit. *Ex Surio.*

*Hora exitus nostri semper est intuenda;  
ista Redemptoris nostri admonitio ante men-  
tis oculos semper ponenda, quâ ait, Vigilate,  
quia nescitis diem neque horam.*  
S. Greg. Hom. de x. Virg.

F. OM.